



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

565. Quando pensio reservata alternativè; scilicet vel in quantitate rei, puta frumenti, vini &c. vel in pecunia: item dum fructus simpliciter assignati sunt pro solvenda pensione ex conventionem ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

ctus est, adeoque applicari vix posse pensioni Ecclesiastica; cum eiusmodi principum edicta non afficiant personas Ecclesiasticas, pro quo citat Oldr. *conf.* 250. n. 2. Jo. And. *in addit. ad speculator. de obligat. & solut.* §. 3. n. 9. &c.

4. Respondeo quartò: Si reservata pensio in specie aliqua seu moneta imaginaria, puta, in tot libris alicujus Provinciae, quae nunquam cusa fuit aut existit; sed solum certam habuit aestimationem per alias monetas, seu valoreretur in certa quantitate monetae cusa inferioris: idem dicendum, quod in praecedentibus duobus casibus; cum in hac imaginaria moneta quoque cadat duplex ea bonitas, censeturque mutata in bonitate intrinseca, si iustum à principe minus valere, non alterato valore intrinseco alterius monetae, ad cuius quantitate aestimabatur, uti & extrinseca eius bonitas, dum datur illi major aestimatio ex deterioratione istius monetae realis inferioris; siquidem talis moneta imaginaria constituitur ex certis monetis inferioribus, adeoque subicitur eidem alterationi, cui illa. Lott. à n. 220. ad 223.

Quaestio 565. Quando pensio reservata alternatimve (quod rarius admittitur à Dataria) scilicet vel in quantitate rei, puta, frumenti, vini &c. vel in pecunia; item dum fructus simpliciter assignati sunt pro solvenda pensione ex conventionione partium, qualiter debeat & possit solvi?

Respondeo ad primum: Esse solvendam pro libitu non titularis, sed pensionarii, ita ut in huius electione sit exigere loco frumenti pecuniam, vel contra; eo autem invito à loco frumenti non posse solvi pecuniam, vel contra. Corrad. *in pr. benef.* l. 5. c. 1. n. 12.

2. Respondeo secundò: De cetero, etsi non nisi rarissime loco pensionis reservetur pars fructuum, ut dictum supra, & non nisi Cardinalibus ea reservatio fieri consueverit; dubium tamen non est, quin facta resignatione cum reservatione pensionis, possit dein inter resignantem, & resignatarium conveniri, & assignari à resignatario resignanti pensionario certi & determinati fructus loco pensionis (si enim hi assignari possunt pro satisfactione debiti alterius, multò magis pro solvenda pensione) & sic pensio in praedictis fructibus solvi debet. Corrad. *loc. cit.* n. 13.

Quaestio 566. Qualiter solvenda pensio, dum imposita super pluribus beneficiis?

1. Respondeo primò: Dum dicta beneficia plura possidentur ab uno eodemque titulari, solvenda videntur pensio pro rata fructuum singulorum beneficiorum, ita ut si fructus unius intereant, non continuò ex fructibus alterius beneficium, etsi sufficientibus ad integrè solvendam pensionem, ea sit solvenda integrè. Dependet hoc ipsum ex mente imponentis pensionem; siquidem ut rectè Corrad. *loc. cit.* c. 2. n. 15. Lott. l. 1. q. 38. n. 20. juxta e. *constitutus. de religiof. domib. & ibidem Abb. n. 8.* reservatio pensionis non intelligitur facta à principio in solidum, sed pro rata singulorum beneficiorum. Unde etiam teste Corrad. *loc. cit.* tam in supplicatione, quam in literis apponitur dictio *proportionaliter*, dicendo, quòd pensio reservetur super praedictorum beneficiorum proportionaliter

P. Leuren. Fori Benef. Tom. III.

fructibus, quamvis etiam ut Lott. *loc. cit.* n. 18. dicta modificatio non solum expressè, sed etiam tacitè censetur facta, & hinc etiam subjungat Corrad. *loc. cit.* dictionem *proportionaliter* videri potius ad cautelam & ad tollendas haesitationes appositam, imò potius ex quodam introducto stylo, quam de necessitate, cum de hoc habeamus clarum textum in *cit. c. constitutus*.

2. Respondeo secundò: Si possessor ille moriatur, & contingeret singula illa beneficia conferri diversis pensionis, solvenda erit pensio ab illis titularibus à quolibet pro rata proportionata fructibus sui beneficium, non verò in solidum ab unoquoque eorum, adeoque contra nullum eorum agere poterit in solidum, seu pro tota & solida pensione. Corrad. *loc. cit.* Lott. n. 19. Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 3. nu. 44.* citans Campanil. *in divers. juris can. rubric. rub. 11. c. 13. nu. 287.* Paris. *de resig. l. 6. q. 2. n. 64.* Estque haec sententia adeò vera, ut vigor ille concessus à jure pro pensionis exactione etiam contra successorem intimaris literis cum clausula: *non retardat à solutione pensionis*, vi cuius executionem paratam habet pensionarius, statim cesset, & progredi nequeat ad executionem, dum opponitur per successorem facta in plures divisio beneficiorum, super quibus praestitus consensus à praedecessore pro reservanda pensione, requiraturque tunc iudicis discutientis valorem omnium beneficiorum sententia declaratoria quantitatis debendae pro quolibet beneficio ab ejus possessore. Ventrigl. *loc. cit.* citans Campanil. *ubi ante. n. 288.* & Ricc. *in pr. p. 3. resol. 108. nu. 26.* Corrad. *loc. cit.* addens, hinc esse, quòd licet in commissionibus causarum super nullitatibus vel moderationibus semper apponatur dicta clausula: *non retardat à solutione*: in praesenti tamen casu (dum imposita nimirum pensio super pluribus beneficiis primitus ab uno, divisim postmodum in plures, & hinc excipitur ab eorum uno à solvenda in solidum pensione) ea supponi non debeat. Eadem procedunt, dum translata pensio super pluribus beneficiis, ita ut translatus non debeat, nec possit pensionem, nisi pro rata. Paris. l. 6. q. 8. nu. 47. & ex eo Ventrigl. *cit. nu. 44.* Porro pro praxi optimum esse, ut resignatarius, seu is, cui reservata istiusmodi plura beneficia gravata unà pensione, faciat distincè & separatim exprimi fructus uniuscujusque beneficium resignati, ac quantitatem pensionis super quolibet beneficio, tradit Corrad. *loc. cit.* dicens, se videre hodie, quòd Dataria requirat expressiorem valoris cuiuscunque beneficium resignati, ac quantitatis pensionis, quae super illis petitur reservari, & quòd, si non capiant pensionem (quòd intelligendum credo, si aliqua interea resignata tam sint tenuia, v. g. unius, vel trium, aut quatuor ducatorum) rejiciatur supplicatio.

3. Respondeo tertio: Quòd, si tamen reservatio facta esset in solidum, singulis illorum beneficiorum habitorem ab uno, divisim illis postea in plures, hi successores excipere non possint, teneri se tantum pro rata; sed in electione pensionarii erit, retinere solidam pensionem super uno corpore beneficium, modò id esset pensionis tantae capax. Ventrigl. *loc. cit.* n. 25. juxta Rot. *in Bergom. pension. 10. Nov. 1595.* in qua etiam dictum, beneficium esse capax pensionis, quae non excedit tertiam partem fructuum illius.